



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXIII. Grata memoria crucifixi Jesu Redemptoris nostri est prædestinationis nostræ insigne indicium ac signum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXXIII.

Grata memoria crucifixi Jesu prædestinationis nostræ indicium & signum.

Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Rom. 8. 29.

1.

Hebrais quondam, cum per Arabiae desertum per varias viarum ambages in Palaestinam proficiscerentur, columna nubis & ignis viam securissimam monstravit, quâ duce & comite feliciter tandem inter innumera pericula ad terram desiderabilem pervenerunt: *Dominus autem præcedebat eos ad ostenden-* Exod. 13. 21.
dam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.

Quod olim Israelitis hæc columna nubis & ignis fuit, hoc nobis Christicolis est crucifixus Jesus, qui in nube, hoc est in humanitate sua nobis inumbrat, & in cruce, tanquam in ignea columna præcedit, monstrans omnibus tutam ac regiam viam, per quam securi ad æternam possumus patriam pervenire: *Christus, ait Cornelius, est nubes, quâ* Cornel. hic.
homo, & ignis quâ Deus; Et D. Hieronymus: Crux Christi, inquit, humani S. Hieron. in
generis columna est, quæ viam rectam nobis ad cœlestem patriam mon- Psal. 95.
strat; beati, qui illam sequuntur: Semper, ait S. Chrysostomus, crucem S. Chryso.
habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis: nam serm. de Jo-
scut columna nubis, figura nostræ crucis, Hebraorum multitudinem protegebat, ne seph.
quid mali ab Ægyptiis pateretur, ita crux ante oculos visa omnem abigit ma-
lam voluptatem &c.

2. Vidit aliquando Ezechiel Propheta sex Angelos à DEO in Jerusalem submissos, ut scelera iniquorum, tanquam administri justitiæ vindicarent, & omnes illos, super quos signum Thau non inveniretur, è medio tollerent: *Transite per civitatem, & percussit: non parcat oculus ve-* Ezech. 9. 5.
ster, neque misereamini: Senem, adolescentulum & virginem, parvulum & mu-
lieres interficite usque ad internecionem; Omnem autem, super quem videritis

M m m 3 Thau,

Thau, ne occidatis. Et ecce dum hoc decretum divinum nunc executioni esset mandandum, adest in tempore alius cœlestis genius, vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus, qui pios in Jerusalem, & peccata populi lugentes, signo Thau in fronte notavit, qui soli in medio hujus cruentæ cædis fuerunt servati immunes.

S. Hieron.
& alii plures
apud Cornel.

Quæres hic, quid per signum Thau fuerit præsignatum? Respondet S. Hieronymus & communiter SS. Patres, quòd hoc signum Thau figura fuerit SS. Crucis, ut significaretur, nos per crucem Christi Domini à morte, à gehenna, ac dæmonum tyrannide liberandos, præsertim illos, qui crucem Christi fronti & animo imprimunt. Ex quibus colliges, crucem esse signaculum & tesseram amicorum, prædestinatorum & electorum Dei: *Usque ad eò, subintrat hic S. Augustinus, de cruce non erubescio, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem;* Crux enim à loco suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum. Unde S. Agnes V. & M. virili animo Romæ ad tyrannum dixit: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum orater eum* (Christum) *amatorem admittam;* Et quale signum? hoc est, signum crucis, quasi diceret: Gero signum crucis in fronte, ut omnibus ostendam, etiam in medio tribulationum, me esse servam, sponsam & ancillam Christi crucifixi. Et tu, amice Lector, quale signum tu geris in fronte & in corde? Et nunquid tale? ò te beatum, si hoc signo salutis signatus es.

S. August. in
Psal. 141.

S. Ambros.
serm. 98.

3. Ad S. Joannem dilectum Domini discipulum venio. Vidit is jam in primitiva Ecclesia quatuor Angelos stantes super quatuor orbis partes, tenentes quatuor terræ ventos, ne flarent super terram, donec Dei voluntate cognitâ eos laxarent ad flandum. Interim supervenit & alius Angelus, ascendens ab ortu solis, habens signum Dei vivi, & clamans magnâ voce ad quatuor illos Angelos: *Nolite vocere terram & mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei in frontibus eorum.* Quæres hic quodnam hoc Dei signum fuerit tam potens, ut, qui illo signabantur, in communi illa & extrema calamitate non perierint?

Apoc. 7. 3.

Lyr. lib. 6.
c. 13.

3. Hadrianus Lyræus & communiter alii, hoc signum Dei vivi esse non aliud quàm crucem Domini nostri Jesu Christi: *Crux enim est signum electorum, vita tessera, & sempiterna arrha beatitudinis.* O felices illi, qui hoc salutari signo sunt signati, qui hinc in vita crucifixo Redemptori suo fideliter inservierunt, & se illi conformarunt, qui etiam in morte stabunt consolati & impavidi, quia prædestinati sunt ad vitam sempiternam: *Nam quos præstitit, ait Apostolus, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Observa: *Conformes fieri.* Quis ergo abhorreat, aut fugiat crucem, per quam conformamur Filio Dei & Christo crucifixo?

Rom. 8. 29.

4. Hactenus ex Scriptura. Progrediamur ad Exempla. Refert Aeneas Sylvius, qui postea à Cardinalibus creatus Pontifex Maximus, vocatus est Pius II. de S. Wenceslao Bohemix Rege ac Martyre, quòd adolescens in aula Ottonis Imperatoris inter ceteros proceres vitam duxerit angelicam; Et quia à nonnullis principibus ob vitam tam religiosam despiciebatur, cruce aurea divinitus signatus, ab Angelis ad Imperatorem perductus est, quo viso salutis signo Imperator de throno surgens, venerabundus Wenceslao obviam venit, eumque peramicè amplexatus, in suum confessum recepit, ac brachio S. Viti M. aliisque magnis muneribus liberalissimè donavit.

S. Francisco Seraphico in lucem edito, & salutari baptismatis fontemunc abluto, cum domum à nutrice gestaretur, peregrinus quidam, seu potius Angelus humero dextro crucis signum impressit, & sic ad æternam vitam præsignavit; postea vir factus, & Minorum à DEO præordinatus & constitutus Patriarcha signum crucis in modum litteræ Thau divinitus ejusdem fronti fuit impressum.

Hoc signo Thau, seu signo crucis in fronte signatus fuit & R. P. Cornel. in Henricus Garnettus S. J. in Anglia M. Hic, ubi die tertia May, hoc est, in festo Inventionis S. Crucis, anno Christi 1606. pro fide Catholica ultimum obiret supplicium, unus qui aderat, spectator Catholicus ex stramine corpori Martyris substrato spicam sanguine purpuratam sustulit, quam cum domi attentiori animo contemplatus est, in ea vividam Venerabilis Patris imaginem invenit, & in fronte ejus crucem rutilantem. O quam bene antiquissimus Origenes: *Gaudentes, inquit, hoc signum crucis levemus in frontes, quod damones cum viderint, contremiscent.* Nam qui aurea capitolia non timent, crucem timent.

5. Et si placet ulterius progredi, alia percipiamus & considerare exempla. Beatus Humbertus Confessor ex Cameracensi diocesi ob integritatem vitæ ursos feroces sibi obedientes habuit, cervum ad se fugientem sub pallio suo à canibus in venatione protexit; fontem salubrem in arenti & arenoso solo excitavit; & cum desiderio videnti, ac visitandi limina Apostolorum Romam venisset, atque in Oratorio S. Petri Ap. devotè orationi incumberet, Angelus de cœlo veniens, super verticem ipsius signum Dominicæ crucis, multis fidelibus hoc cernentibus, impressit, & sic ad beatam & cœlestem vitam illum præsignavit.

B. Jacobus de Bevania vir excellentis virtutis, cum sæpius magna animi anxietate torqueretur, an aliquando apud DEum in numero electorum & prædestinatorum esset collocandus, Crucifixi Salvatoris sui imaginem accessit, & dum impensius ibidem ad Dominum precibus

Aeneas Sylv.
hist Bohem.
c. 14.

Quaresm.
tom. 5. cor-
fid. 4.

Cornel. in
Apoc. 7. 3.

Origen.
hom. 8.

Surius 6. Sept.

Leander lib. 5.
& alii.

bus insisteret; Res cunctis stupenda! effigies patientis Christi os suum aperuit, & clara voce ad eum dixit: *Jacobe, Sanguis iste sit tibi in signum,* & dum hæc diceret Christus, continuo apertum est latus ejus, ex quo abundè sanguis proflavit, ejus vultum, os, & vestes purpurans; proinde præ insolito gaudio exultans, exclamavit cum Apostolo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Nic. Jansenius
& Alphonsus
Ciaccon. de
Signis S. Cru-
cis c. 20.

6. Hoc prædestinationis signo tum in vita, tum in beata morte signatus fuit & B. Jordanus, natus Saxo ex sacra Familia S. Dominici, & postea Magister Generalis, vir & singulari doctrinâ ac sanctitate conspicuus, cujus meritis panis fuit multiplicatus, & vinum corruptum restauratum, ad cujus imperium mustella ei paruit, ac plura alia patravit prodigia; Et ecce dum iter in Palestinam cum duobus Sociis parat, ut loca sanguine pretioso Christi Domini purpurata, & simul aliqua monasteria, tanquam Ordinis Generalis visitaret, è Germania profectus, navem in Italia conscendit, quæ, priusquam ad optatum perveniret portum, propè Ptolomaidem & Acconem vi tempestatis ad scopolum allisa, contracta est, & ipse cum duobus prædictis Sociis pelago submersus, ad cœlestem portum evasit, anno Christi 1236. Verum non defuerunt in hac pretiosa morte divina miracula; ne ergo sinistris interpretationibus daretur locus, subito supra demortui corpus hujus crucifixi amatoris plures lucidissimæ cruces apparuerunt, cujus meritis & plura contigerunt miracula, quo indicio permoti illius loci Christiani, eum cum 2. Sociis Anconæ honorificentissimè sepelierunt.

Blof. cap. 2.
Mon. his Spi-
ritual.

Vides ex his, anime mi, prædestinationis tuæ signum? Si verus amator, cultor, & imitator crucifixi Redemptoris tui fueris, non te deseret in morte, qui pro te tam indigna in vita sua passus est: *Quoties,* dicebat quondam Dominus ad S. Gertrudem, *quis devotè crucifixum aspicit, toties amanter & ego eum respiciam.* O verba cedro, marmori, auro, imò in corde nostro inscribenda. Accede igitur cum magna fiducia ad hunc thronum gratiæ, ut misericordiam consequaris. Dic sæpius cum Psalte: *Aspice in me, & misere-
re me.*



CON-